

...i: Dissertatio de tutoribus et curatoribus.

2537 Prawo.

IN NOMINE DOMINI Amen.

DISSERTATIO

Juridico-Civilis

De TUTORIBUS

&

CURATORIBUS

Ex Libro I. Institutionum Imperialium

DESUMPTA,

jam verò

ad demonstrandum Scholastici specimen profectus

Dignissimi Civilis Jurisprudentiæ Auditoris

per

M. FRANCISCUM MINOCKI Utriusq; Juris, ac pro tunc Institutionum Imperialium Professorem, Collegam Juridicum. Respondente ad Objectiones Excellente M. ANTONIO de CAMELIN Philosophiæ Doctore & Professore, uti ejusdem Civilis Jurisprudentiæ Auditore.

publicæ Disputationi

In Juridico Universitatis Collegio

Anno Domini 1766. *Die* 13. *Martij*.

EXPOSITA.





Tutelæ officium necessarium est. - - - - *Bald. in Auth. Matri. C. Quando mul. tut. Offic. fung. poss.*

Naturali juri conveniens est, ut is qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutelâ regatur. - - - - §. 6. *Instit. Imper. De Attil. Tuto.*

Tutorum & Curatorum unusquisq; habet suam authoritatem. - - - *l. fin. C. De authorit. præstand.*

Tutor tunc Domini locò habetur, cùm tutelam administrat, non, cùm pupillum spoliat. - - - *l. 7. §. Si Tutor. ff. Pro emptore.*

Aliena negotia exactô officiô geri debent, nec quidquam in eorum administratione neglectum, ac declinatum, culpâ vacuum est. - - - - - *l. 21. C. Mandati vel contra.*

Quod medicamenta morbis, hoc exhibent jura negotiis. - - *prncip. Novel.* III.



DISSERTATIO
Juridico-Civilis
De TUTORIBUS & CURATORIBUS.

Tutela à tuendo dicta (a) jure introducta est, (b) naturali etenim juri conveniens est, ut is qui perfectæ ætatis non est, alterius tutelâ regatur. Illa ita q; est vis ac potestas in capite libero; (c) ad tuendum

eum,

(a) *l. Tutela. ff. De tutel.* (b) *§. Est autem. Instit. De Tutel. ex l. XII. tabul.* (c) *Zoes. in ff. De Tutel.*

eum, qui propter ætatem ſuam ſe defendere nequit. (d) Tutores autem ſunt qui eam vim ac poteſtatem habent, atque ex re ipſa nomen acceperunt. Itaq; appellantur Tutores quaſi *Tuitores* atq; Defenſores, ſicuti *æditui* dicuntur; qui ædes tuentur, (e) jurare enim debent ſe non relicturos pupillum indefenſum. (f)

Tutela dividitur potiſſimùm in teſtamentariam, Legitimam & Dativam. *Teſtamentaria* eſt, quæ conſtituitur à Parentibus in teſtamento vel in codicillis Teſtamentô confirmatis, liberis ſuis impuberibus in ſua poteſtate exiſtentibus. (g) *Legitima* eſt, quæ à lege inducitur in favorem pupillorum non extantibûs Tutoribûs Teſtamentariîs. Quando etenim non adſunt Tutores ex teſtamento relicti, adſunt tamen Conſanguinei, tunc jure ſtatutũ eſt, ut qui proximior cõſanguineus eſt pupillo, ille ſit illius Tutor legitimus. (h) *Dativa* eſt, cùm Tutor à Magiſtratu aſſignatur in defectum Tutoris teſtamentarii & legitimi. (i) Unde juxta dictam Tutelæ diviſionem, Tutores alii ſunt *Teſtamentarii*, alii *Legitimi*, & alii *Dativi*. Ex his tamen Tutores *Teſtamentarii* præferuntur; non mo-

(d) *l.* 1. *ff. De Tutel.* Przyluſc. *apud* Zalaſs. *fol.* 468. *d.* §. *Eſt autem.* Schanbog. *Inſtit. h. t. n.* 2. (e) §. *Tutores. Inſtit. e. t.* & *cit. l. Tutela.* (f) *l. fin.* §. *Omnem. C. De adminiſtr. tut.* (g) §. *Permiſſum eſt. Inſtit. h. t.* & *l. Teſtamento.* 3 *ff. De Teſtam. tutel.* (h) *l. Legitimæ l. Inteſtato, l. Si plures. ff. De legitim. Tutel.* (i) *t. t. Inſtit. De Attil. tut. l. Sive. ff. De Tut.* & *Curat. dat.* & Stat. Lith Cap. 6. Art. 1: Herb. in Stat. Polon. ſol. 239. & Conſt. Regn. A. 1568. *fol.* 100. *tit.* o Opiekunach.

modò Matri & Aviæ, verùm etiam legitimis Tutoribus. (k)

Tutores teſtamentô ſolùm à Parentibus liberis ſuis impuberibus, quos in poteſtate habent, dari poſſunt. (l) Hinc poteſt Pater in teſtamēto dare Tutorem filiis ſuis qnemcunq; ſibi beneviſum; unde licèt fæmina ſit incapax à jure, (m) tamen ex voluntate Teſtatoris poteſt tutelam exercere. (n) Si verò Pater in teſtamento conſtituit Tutorem pro filiis, tutela extenditur etiam ad filias; (o) imò extenditur quoq; ad poſthumos & poſthumas, (p) poſthumi enim pro jam natis habentur, quoties de illorum commodo agitur. (q) Cùm verò liberorum appellatione contineantur tam filii, quam nepotes, & alii deſcendentes, (r) unde ipſis etiam impuberibrs, Avi, Proavi, teſtamentô Tutores dare poſſunt, dummodò ſint in poteſtate dantis, & quòd poſt mortem ejus non reciderint in poteſtatem ſui Patris naturalis. (s) Pater enim filiis ſub Patria poteſtate non exiſtentibus, ſed emancipatis, non poteſt conſtituere Tutorem ſimpliciter; cùm ad id requiratur Patria poteſtas; (t) defectu cujus etiam filio ſuo naturali tantùm; ſeu illegitimo dare Tutorem teſtamentô

 nequit

(k) Lipſki *Cent.* 1. *Obſerv.* 60. *n.* 9. *Nov.* 118. & *Auth. Matri & Aviæ. C. Quand. mul. tut. offic. fung. poteſt.* (l) *§. Permiſſum eſt. Inſt. h. t.* Oinot. *De Tut* n. 10. (m) *l. feminæ. ff. De Tutel. & l.* 1. *C. Quando mulier &c.* (n) *l. Liberto* 31. *§.* 6 *ff. De negotiis geſt. Rot. par.* 2. *Tom.* 2. *Deciſ.* 435. *n.* 6. & 17. (o) *l. Si quis ita. ff. De Teſtam tutel.* (p) *l. Si quis filiatus. ff. De Teſtam tut.* Oinot. *hic n.* 14. (q) *l.* 7. &. 26. *ff. De Stat. hom.* (r) *l.* 84. & 201. *ff. De V. S.* (s) *l. Quid ſi.* 6. *ff. De Teſtam. tutel.* (t) *d. §. Permiſſum. l. Duodecim ff. De Teſtam. tutel. l. Ut ne. §.* 5. *ff. De confir. Tut.*

nequit, nisi vel illum hæredem instituat vel aliquid eidẽ relinquat. (u) Hinc & Mater quà mater est, nequit testamentô filiis Tutorem constituere; (w) cùm eos in potestate non habeat; (x) nisi filium testamentô hæredem instituat & simul Tutorem ei constituat, nam tunc erit rectè constitutus Tutor, cæterùm à Judice confirmandus. (y) Quòd si maritus in testamento uxorem tutricem filiorum constituerit, etiam in casu secundarum nuptiarum, non est necesse, ut eadem uxor renuntiet secundis nuptiis, quamvis enim mater transiens ad secundas nuptias ipso jure privetur tutelâ filiorum prioris matrimonii, (z) cùm id procedat solummodò quò ad tutelam legitimam vel quando aliter non est dispositum à Testatore. (a) Secùs autem si maritus simpliciter eam constituerit Tutricem testamentariam, tunc enim, ut validè suscipiat tutelam, debet apud acta simpliciter renuntiare secundis nuptiis; (b) & si transeat ad secundas nuptias, ipso jure privatur tutelâ. (c) Verùm quòd Pater adhuc vivens liberis suis ac uxori Tutorem dare possit, extat statutum Vladislai Jagelonis. (d)

Regulariter autem testamentô Tutores dari non possunt, qui expresse prohibentur à lege, qua-

(u) *l. Naturali filio. ff. d. t.* (w) *l. Mater. 4. C. De Testam. tutel.* (x) *§. Cæteri. Instit. De Hæred. qual. & differ. §. Fæminæ. Inst. De Adopt.* (y) *l. Mater. C. De Test. tutel. & l. 4. C. e. t.* (z) *tex. in Auth. Sacramentum C. Quand. mul. tut. offic. &c. l. Si pater. C. e. t.* (a) *l. fin. C. De Pact. convent. l. Et habes. §. Cum quis. ff. De Precar.* (b) *l. si Pater C. Quan. mul. &c.* (c) *d. Auth. Sacramentum.* (d) *Herburt. Stat.* Lat. *v.* Tutor. *ibi - - Quòd Pater. &c.*

quales v. g. ſunt. 1*mò* minor 25. annis. (e) 2*dò* furioſus durante furore (f) 3*tiò* mutus, ſurdus, (g) & ejusmodi datio ipſo jure vitiatur, (h) 4*tò* Servus durante ſervili ſua conditione, (i) 5*tò* prodigus, (k) 6*to* miles qui actualiter in prælio eſt, (l) 7*mo* infidelis, paganus, excommunicatus notoriè; (m) 8*vo* neq; creditor, neq; debitor teſtamentô Tutores dari poſſunt, licèt antiquo jure id licitum fuit, (n) cæterùm ſi teſtator plenam cognitionem de tali credito & debito habuerit; uterq; Tutor conſtitui poteſt; (o) ſicut & ille qui habet bona indiviſa cum pupillis, poteſt eorundē eſſe Tutor teſtamentarius, ſi teſtator noverit talem indiviſionem; (p) eo modo & civis alterius civitatis poteſt eſſe Tutor pupillorum alibi degentium. (q) 9*no*. Epiſcopi & Monachi nequeunt eſſe Tutores teſtamentarii; (r) neq; etiam legitimi (s) nihilominus circa tutelam Epiſcoporum legitimam attendenda eſt Regnorum & locorum conſvetudō. Sacerdotes verò aliiq; Clerici in Sacris conſtituti, licèt nequeant pariter eſſe

(e) *§. Item major. Inſt. De excuſ. Tut. tex. in l. fin. C. De Legit. Tutor.* (f) *§. Furioſus Inſt. h. t. & l. furioſus. ff. De Tutel.* (g) *l. Tutela §. 3. ff. Tutel. ibi* -- Surdus & mutus. (h) *gloſs. in l. 1. §. fin. ff. De Tutor.* (i) *l. In ſervili C. Qui dare Tut. v. Cur. poſs.* (k) *l. His qui §. 2. ff De Tut. & Cur. dat. & arg. l. Nemo C. De Legit. tut.* (l) *§. Idem & in milite. Inſt. De Exucuſ: Tut.* (m) Decius *in c. Intelleximus De Judic. n.* 56. (n) *Auth. Minoris debitor C. Qui dari Tut. vel Curat. &c.* (ô) *l. Tres Tutores §. fin ff. De Admin. tutel.* (p) *princ. Inſtit. De Satisd. Tut.* (q) *l. 32. ff. De Teſtam. tutel.* (r) *Auth. De Sanctiſs. Epiſc. ſeu Novel.* 123. *ibi* - - DEO autem *&c.* Rot. *p. 4. recent.* Tom. 2. *deciſ. 11. n. 16.* (s) *d. Auth. ibidem.*

eſſe Tutores teſtamentarii, (t) bene tamen Tutores legitimi eſſe poſſunt. (u) Illi verò qui non ſunt ex numero Parentum ut Patronus, Patravus, Frater, aut quivis alius extraneus, teſtamentô Tutorem impuberibus dare non poſſunt, (w) quòdſi tamen impuberem hæredem inſtituant, tunc ei poſſunt conſtituere Tutorem ſed à Judice cum inquiſitione confirmandum. (x)

Deficientibûs Tutoribûs teſtamentariîs; tutela de jure proximis duntaxat agnatis idq; jure antiquo civili deferebatur; (y) qui; prout in ſucceſſionibus, ita in tutelis ſuſcipiendis penitùs cognatos excludebant. (z) Qua de re *Agnati* dicti ſunt illi; qui per virilis ſexûs cognationem conjuncti ſunt; veluti Frater ex eodem Patre natus, Fratris filius, neposve ex eo, item Patruus, Patruelis &c. aliiq; omnes qui idem gentilitatis nomen; eandemq; familiam & inſignia habent. *Cognati* verò appellantur qui per fæminei ſexus cognationem conjunguntur, ut v. g. filius ſororis, filius amitæ, avunculus, Frater uterinus & conſobrinus; verùm hodie omnis differentia agnationis & cognationis ſublata eſt, & concurrentibûs agnatîs & cognatîs admittuntur ad tutelam proximiores in gradu; (a) Quod & de jure Regni noſtri practicari ſolet: primò ex linea Paterna proximiores conſanginei, (hîs non extantibûs) ex linea materna ad tutelam vocantur. (b)

Ex

(t) Bart. *in cit. Auth. n.* 1. Abb. *in c. Non eo minus. n.* 15. *De Immun. Eccles.* (u) *cit. Novel.* 123. *ibi* - - Presbyteros autem *&* Can. *ult. Diſt.* 86. *&c.* (w) *l.* 28. *ff. De Teſtam. tutel.* (x) *l. Si Patronus. De confirm. Tut.* (y) *l.* XII. *tab. & l.* 1. *ff. De legit. Tut.* (z) *l. Sunt autem. ff. e. t.* (a) *Novel.* 118. (b) Vlad: Jag. *An. Dni* 1423. *apud.* Herb, & Conſtit. *An* 1588. *fol.* 46. *tit.* o poſazeniu Sioſtr.

Ex dictis autem proximioribus, Mater licèt in tutela filiorum impuberum non præferatur Avo Paterno, (c) præfertur tamen Avo Materno, (d) jam verò Aviæ sive Paternæ sive Maternæ tanquam proximior in linea ascendentium semper præferenda est. (e) Et quanquam de jure Fæminæ non admittantur ad tutelam, (f) id tamen speciali privilegiô est concessum Matri & Aviæ (g) quòd possit tutelam exercere. Non existente verò Avia Paterna & Materna admittenda est ad tutelam Proavia. (h) In concursu verò Avi materni cum Avia materna; præfertur Avus. (i) Item Mater & Avia præferuntur etiam Patruis. (k) Quod si tantùm naturalis mater sit, in omnibus casibus præfertur ût legitima; (l) etiam in concursu Patris & Matris naturalis tantùm, nisi in casu quo filii naturales essent à Patre legitimati. (m) Concurrentibûs autem duobûs Fratribûs utrinq; conjunctîs, uterq; admittendus est ad tutelam, etiam si unus sit minoris ætatis, (n) jam verò frater utrinq; conjunctus præfertur fratri ex uno latere conjuncto. (o) Et si plures fuerint

(c) *l. Si hæreditas. ff. De Test. tut. §. 3. Inst. De Tutel.* (d) *gloss. in Auth. Matri &c. vers. Item quid C. Quan. mul. tut. offic.* (e) *Arg. §. Cùm autem. Inst. De cap. dimin. l. 1. ff. De Legit. Tut.* (f) *l. 18. ff. De Tutel. & l. 1. C. Quando mulier &c.* (g) *Auth. Ut liceat Matri. & Auth. Matri C. d. t.* (h) *d. Auth. Ut liceat &c. l. 51. ff. De V. S.* (i) Bart. *in l. Si quis n. 9. ff. De Test. tut.* (k) Decius *in c. Ex parte. De appel.* Gvald. *De Caut. & Tit. De Tutor.* (l) gloss. *in d. Auth. Matri C. d. t. & Nov. 94. in fine.* (m) Angel. *De legit. Patr. tut. n. 6. l. Spurius. ff. Unde cognati.* (n) *tex. in l. 9. ff. De Legit. Tut. ibi* - - Etsi eodem gradu. (o) Bald. *in l. De emancipatis. C. De legit. hæred.* Gratiah. *Cap. 671. n. 19.*

fuerint in eodem gradu, omnes debent admitti ad tutelam (p) sed magìs idoneo committenda administratio. (q)

Quòd si tamen Pater nullum in testamento Tutorem pupillo assignaverit; vel si nullus ex consanguineis adsit; quilibet Magistratus vi suæ jurisdictionis Tutorem constituere potest, (r) seu aliàs Judex debet habere jurisdictionem tam in pupillum, cui dandus est Tutor, quàm in eum qui dari debet. (s) Hinc si pupillus sit Clericus, Tutor est per Judicem Ecclesiasticum constituendus, (t) neq; per Judicem Laicum potest dari Clerico Tutor Ecclesiasticus (u) bene tamen à Judice Ecclesiastico potest dari pupillo Clerico, Tutor Laicus. (w) Jam autem extantibûs ex eodem Patre pluribûs pupillîs quorum alii sunt Clerici, alii Laici, tunc in eo casu ùnum Tutorem dandum esse pro Clericis à Judice Ecclesiastico, & alterum pro Laicis dandum esse à Judice Laico probabilior sententia evincit. (x) Isti verò ad quos pupilli hæreditas pertinet, quamprimùm fieri potest, pupillo idoneos Tutores petere debent, nam si petere neglexerint; privantur successione pupilli. (y)

De

(p) *tex. in l. Si plures. 9. ff. De legit. Tutor.* (p) *Auth. Sicut hæreditas C. De legit. Agnat. tut.* Schneid. *Instit. Lib.* 1. *n.* 19. (r) *l. Jus dandi. ff. De Tutor. & Cur. dat. & l. §. Si quando ff. De Magistr. Conven.* (s) *l. Neq; à Præside. C. Qui dare Tut. vel. Cur. pos.* (t) Socin. *in l. Si quis Clericus n.* 23. *in fin. ff. De For. com.* (u) Decius. *cons.* 150. *n.* 9. (w) glos. *in Can. Bene Dist.* 96. *v. Præter. c. Decernimus De Judic.* (x) *c. Ecclesia De Constit. c. Cum Laicis. De reb. Eccl. alienan. vel. non.* (y) *l. Sciant. C. De legit. tut.*

De jure verò Regni nostri datio Tutoris spectat ad Judicium Castrense jux. Stat. *Sigismundi* Regis (z) licèt de jure M. D. Lithv: eadem datio Tutoris ad Judicium Terrestre pertineat. (a)

Omnes à Judice Tutores dari possunt, qui scilicet non prohibentur à jure: Prohibentur autem 1*mô*. Creditor & Debitor pupilli; (b) 2*dò*. Judex se ipsum Tutorē dare non potest, (c) 3*tiò*. prohibetur cæcus, (d) 4*tò*. Miles (e) 5*tò*. mutus aut surdus (f) 6*tò*. furiosus (g) 7*mò*. Minores 25. annîs (h) 8vò. nec fœminæ dari possunt Tutrices; (i) 9*nò*. nec Uitricus privigno; (k) 10*mò* nec Personæ Spirituales, nisi in eodem Districtu bona sua habeant Paterna, Materna & alio modo acquisita. (l) Officium Tutorum est pupillum bonîs moribûs tum artibûs instrui curare, res & bona pupilli rectè administrare, corpus & salutem ejus tueri, alimenta præstare, contra alium actiones nomine pupilli intentare; & si ab aliquo conveniatur, eundem defendere. Potissima tamen cura adhibenda est; ne pupillus educetur apud eos qui propter spem successionis; vitæ impuberis insidiari possunt. (m) Circa administrationem verò tutelæ requiritur 1*mò*. ut Tutori constituto (quisquis ille fuerit,) decernatur

B à Ju-

(z) Przyłusc. & Herburt. *apud* Zalass. *fol.* 222. (a) Stat. Lithv. Cap. 5. art. 11. & Cap. 6. art. 2. (b) *Auth. Minoris. C. Qui dar. Tut. &c.* (c) *Prætor. C.* [illegible] (d) *l. Luminibûs C. e. t.* (e) *l. Militiæ C. e. t.* (f) *l. 1. § fin. ff. De Tutel.* (g) *§. Nec furiosi Instit. Qui testam Tut. &c.* (h) *l. fin. C. De legit. Tut.* (i) *l. fin. ff. De tutel* (k) Decr. Cur. Regni *A.* 1600. inter Standewski & Success. Sabina. (l) Stat. Lithv. Cap. 6. art. 3. ad fin. (m) [illegible] *septetur. ff. Ubi pupil. educ. deb. & l. 1. & 2. C. e. t.*

à Judice administratio ejusdem tutelæ. 2*dò*. ut Tutor juramentum præstet quòd pro pupillo utilia peragere velit. 3*tiò*. ut satisdationem per Fidejussores præstet, at in hoc; locorum consvetudo spectanda. 4*tò*. ut Inventarium omnium Bonorum pupillarium conficiat. (n) Authoritas verò Tutorum maxima ea est, quòd videlicet pupillus nihil agere potest sine voluntate Tutoris, (o) unde nec contractus celebrare, (p) nec hæreditatem adire, (q) nec respondere, nec agere in Judicio possunt pupilli, nisi Tutore Auctore. (r) Dantur nihilominùs casus, in quibus respondere tenentur 1*mò*. Si aliquis Patri vel Matri ipsorum hæreditatem suam aliquam obligâsset, & ipsam à pupillis redimere vellet, tunc pupilli pecuniam obligatam recipere tenentur, quamvis annos legitimos non habeant. (s) 2*dò*. Si Pater pro aliquo fidejussisset & vivens adhuc pro hac fidejussione ad judicium esset citatus, tunc si post mortem ejus pupilli essent citati, tenentur respondere, (t) 3*tiò*. si Pater pro aliqua hæreditate citatus fuisset adhuc vivens, tunc etiam pupilli respondere tenentur pro eadem. (u) 4*tò*. si aliquis Bona hæreditaria vendiderit, obligaverit, sive impignoraverit alicui, & inscripserit se pro defensione & evictione, & posthac moreretur, tunc filii ejusdem defuncti debent tueri residentem

(n) *l. 7. ff. De admin. tutel. &* [illegible] 24. *C. e. t.* (o) *l.* 118. *ff. De R. J.* (p) Gail. *obser.* 65. *n.* 1. *& l.* 9. *ff. De Auth. Tutor.* (q) Bart. *in l. More. ff. De acquir. hæred.* (r) Zawadz. *in Process. Judic.* Stat. Lithv. Cap. 6. art. 7. & Herb. *v. Minores.* (s) Casim. Magn. *v. Minorennes. ut refert* Herburt. Zawadz. *in suo Process. &* Stat. Lit. Cap. 6. art. 8. (t) *Idem ibidem.*

tem in Bonis, etſi annos diſcretionis non habeant. (w) 5*tò*. Si pupilli fuerint citati ad Inſcriptionem per Patrem eorum alicui factã; aut pro debito, aut alia re, tenentur obligationi Patris ſatisfacere. (x) 6*tò*. Si aliquo prætextu juris; Bona jure victi poſſideant, (y) 7*mò* in actione dislimitandorum Bonorum, tum hæreditatis dividendæ, non obſtante minorennitate reſpondere debent, quanquam reſervanda ſit illis actio cum Actore granicierum vel hæreditatis ad annos diſcretionis. (z)

Jam verò Tutores ipſi pupillorum Bona alienare nequeunt ſine Decreto Judicis (a) quod & de Jure Regni noſtri procedit. (b) Siverò secùs fecerint, pueri ad annos diſcretionis cùm pervenerint, hæreditatem ſuam à Poſſeſſore viceverſa re habere poſſunt, nec ipſis aliqua præſcriptio allegari poteſt. (c) In expendendo autem ita ſe gerere debent Tutores, ut pupillũ in pœnam aliudve damnum non inducant; id enim Tutorum damno & periculo tribuendum foret. (d)

Cauſæ excuſationis à tutela principaliores, & quæ in praxi nonnunquam occurrunt de jure civili aſſignantur ſequentes: 1*ma* numerus liberorum ſuperſtitum, (e) 2*da*, abſentia Reipublicæ causâ (f)

(w) Sigiſm. Rex Crac. An. 1605. *apud* Herb. *v. Minorennes.* (x) Zawadz. ubi ſupr. & Conſt. *A.* 1588. (y) d. Conſt. *A.* 1588. (z) Sigiſm. Rex Petricov. *A.* 1523. & Zawadz. in ſuo Proceſs. (a) *tex. l.* 1. *ff. De reb. eor. qu. ſub tut ſunt non alien.* (b) Caſim. *Rex A.* 1368. *apud* Herb. *v. Tutor.* & in Stat. Polon. *f l.* 141. (c) *Idem itidem.* (d) *l.* 3. *C. De admin. & peric. Tutor.* (e) *lib.* 1. Adit. *Inſtit. Imper.* & in Spec. Jur. Sax. Lib. 2 art. 11. (f) Lipſki *obſerv.* 5. & *ſ.* c. Jur. Sax.

adverſa valetudo talis, propter quam ne quidem ſuis negotiis intereſſe poteſt, (g) *4ta.* paupertas nimia, ob quam victum ſuîs manibûs quærere quis cogatur, (h) *5ta* imperitia literarum, niſi quis ſit ſagax in rebus agendis, (i) *6ta* ætas 70. annorum, (k) *7ma.* Inimicitiæ capitáles & graviſſimæ, (l) *8va* Militia; nam milites in bello etiam volentes admitti non debent, (m) Iſtæ verò excuſationis cauſæ intra dies 50. à notitia tutelæ accepta coram Judice proponendæ ſunt, (n) aliàs à tutela ſibi delata appellare non licet; (o) secùs ſi Judex excuſationes Tutoris quibûs onus tutelæ vult declinare non admittat, nam ab eo appellari poteſt. (p)

Verùm tamen pupilli pupillæq́; cùm puberes eſſe cæperint, à tutela liberantur. Pubertas autem habetur in maſculis annô 14 completô, & 12 in fœminis. (q) De jure autem Regni noſtri pupilli maſculi debent ſub tutela eſſe ad annos 15 completos, qua ætate adveniente; Tutores tenentur illis re ſignare Bona, quæ tamen Illi accipientes, neq́; vendere, neq́; obligare poſſunt, ſine conſenſu Conſanguineorum ſuorũ, donec 24 annos compleverint. (r)

Tutelâ finitâ incipit Cura ſeu curatio ſeu curatela, quæ de jure communi Cæſareo durat usq́;
ad

(g) *tex. in §. Item propter adverſam. Inſtit. De Excus. Tut.* (h) Oinot. *l. ſ. c. §. Sed & propter paupertatem. Inſt. e. t.* (i) *§. Similiter eos. Inſt. e. t.* (k) *tex in §. Item major. Inſt. e. t.* (l) Oinot. *Inſt. Civil. §. Si propter Inimicitias.* (m) *§. Idem & in Milite. Inſt. De Excus. Tut.* (n) Lips. *ubi ſupr. n. 19. & ſeqq. & tex. in §. Qui autem. ſ. d. t.* (o) Lipſk. *l. ſ. c. n. 17.* (p) *tex. in l. Si quis. §. 1. ff. Quand. appelland. ſit.* (q) *l. 4 in princ. ff. De Tutel. §. 1. Inſt. Quibus mod. tut. fin. ibi* = Pupilli pupillæq́; &c. (r). *apud* Herb. Stat. Laty. Anni diſeret. v. Minorennes. v. Tutor.

ad annos 25 completos, tam in masculis, quàm in fœminis. (s) Curator verò est is qui præpositus est alicui, quivè potestatem habet administrandi Bona ejus, qui vel ob ætatem, vel ob mentis corporisq; vitium suis rebus superesse non potest. (t)

Tutores & Curatores differunt inter se 1*mò*. quia Tutores dantur principaliter Personæ, secundariò rebus, (u) Curatores autem vel rebus tantùm, vel principaliter rebus, & secundariò Personæ. (w) 2*dò* quia Tutores regulariter dantur impuberibus, (x) Curatores verò puberibus, usq; ad 25tum annum, (y) 3*tiò*. quia Tutores certæ rei & causæ dari non possunt, (z) Curatores autem & certis rebus & determinatis caussis dari possunt. (a) 4*tò*. quia Tutor testamentô à Patre dari potest, Cutator verò in testamento non datur. (b) 5*tò*. quia Tutor non potest ritè conveniri à pupillo nisi finitâ tutelâ; Curator verò etiam durante curatione, (c) 6*tò* quia Mater non petens Tutorem filio punitur, non item Curatorem non petens. (d)

Curator si æquè principaliter dandus sit Personæ, puta furioso; amenti, sicuti Tutores pupillis, tunc

(s) *princ. Inst. De Curat. ibi* = Masculi quidem &c. *l. Hoc edict. ff. De minorib.* (t) *§. Sed & mentecaptis Inst. De Curat. l.* 12 *ff. De Tut. & Cur. dat. &c. l:* 2. *ff. De Curat. furios* (u) *l.* 14 *ff De Testam. tutel. §. Esi autem. Inst. De Tutel.* (w) *l. In copulandis. C. De nupt.* (x) *d. l.* 4. *in princ. ff. De Tutel. & rat. distr. Rot. p.* 4. *decis.* 588. *Tom.* 1 *n.* 6. (y) *d. §. Inst. De Curat. in princ.* (z) *d. r. poss §. Cert: Instit. Qui testam. tut.* (a) *§. Item inviti. De Tutor.* (b) *l.* 2. *ff De vulg & pupil. substit.* (c) *l.* 1 *§.* 1. *ff. Qui pet. Tut. vel Cur.* (d) *l. Matris C. e. t.*

tunc dandus eſt à Judice ſub cujus juriſdictione eſt Perſona, & ſic ſi fuerit Clericus à Judice Ecclesiſtico, (e) vel ſi Perſona fuerit Laicalis ſub uno Territorio, & Bona ejus ſub alio, Curator dandus erit à Judice Territorii, ſeu habitationis, ſub cujus poteſtate eſt Perſona. (f)

Tria verò ſunt genera Curatorum de jure communi Civili = *Quidam* ſunt Curatores qui dantur impuberibus minoribus, ſcilicet 14 annis. *Quidam* ſunt, qui dantur majoribus 25 annîs, & hi appellantur legitimi, (g) *Quidam* verò dantur puberibus qui compleverunt 14tum annum, ſed ſunt adhuc minores 25 annîs, & hi appellantur dativi. (h) Sub 1mo genere reponuntur impuberes ſeu minores 14 annîs, qui licet regulariter dicantur eſſe ſub tutela, & (Tutorem habenti non poteſt dari alius Tutor;) (i) dantur tamen caſus, inquibus pupillo Tutorem habenti dandus eſt Curator, 1*mò* Si Tutor legitimus ſivè à Teſtatore ſive à Magiſtratu datus, ob quem defectum corporis vel animi non ſit idoneus ad tuendum pupillum, & ad Bona ejus adminiſtranda, tunc Curator ei eſt adjungendus. (k) 2*dò*. Si Tutor temporalî impedimentô laboret, ita; ut tutelæ præeſſe non poſſit v. g. ſi Legationis causâ vel alia juſta

abſit,

(e) Soc. in *in l. Si quis Clericus. n. 23. in fin. ff. De For. comp.* Diana *p. 1 Tract. 2. res 95.* (f) *§ Datus. Inſt. De. Excus. Tut. l. 5. §. 12. ff. De reb. eor. qui ſub tut. v. cur ſunt.* (g) Mynſing. *Lib. 1. Tit. 23. n. 6. De Tutor. & Curat.* (h) *Idem ibidem* Oinot. *Lib. eod. De Tut & Curat.* (i) *l. Si ſororis. C. Qui dar tut. pos. & §. Interdum. Inſt. De Curat.* (k) *l. 13. ff. De Tutor.*

absit, tunc etiam interea pupillo Curator dandus erit. (l) Sub *2dò* genere Curatorum ponuntur majorennes idest 25 annîs majores, quibus ob sex potissimùm vitia dandus est Curator, *1mò.* si sit furiosus, hoc est rabie quadam animi agatur, & ad omnia mentis cæcitate laboret, (m) *2dò* si sit demens tantùm, hoc est sine tumultu & clamoribus desipiat, (n) *3tiò.* Si sit prodigus hoc est non servet finem, neq; modum in expensis, sed Bona sua dilapidet, (o) *4tò* si sit mutus, (p) *5tò* si sit surdus, (q) *6tò.* si morbô perpetuô laboret. (r) His tamen omnibus non aliter dandus Curator, nisi re & impedimentô à Judice cognitô, tum ne inconsultò priventur libertate administrandi Bona propria; tum ne sine causa fama eorum denigretur. (s) Cæcus autem Curatore non indiget, nec ipsi dandus est. (t) Sub *3tio* deniq; genere Curatorum ponuntur mares & fœminæ seu adulti illi, qui pubertate expleta, & sic cessante Tutore, usq; ad 25 annum completum indigent Curatore. Ipsis tamen invitis non datur Curator, prætquam in litem. (u)

De

(l) *l. Quæsitum. ff. De Tutel. & l. Nec ille. ff. De Tut. & Cur. dat. &c.* (m) *l. 10. ff. De Curat. furios.* (n) Menoch. *De Præsumpt. Lib. 4. n. 27. & seqq.* (o) *d. l. 1. ff. De Curat furios.* (p) *§. Sed & major. Inst. De his qui sunt sui. &c.* (q) *d. §. Sed & major &c.* (r) *ibidem.* (s) *tex. in l. 1. & 6. C. De Curat. furios.* Ridolph. *in prax. Cap. 5. n. 97.* Gratian. *discept. 225. n. 22.* Rot. coram Caval. decis. 273. n. 3. (t) *ad tex. in l. 1 ff. De Pustuland.* (u) *§. Item inviti. Inst. De Curat. & l. 14. C. De Procurat.*

De jure verò Saxonico ſive ſit fæmina, ſive maſculus minor, tunc efficitur major, poſtquam compleverit 20mum ætatis annum. (w)

De jure Regni noſtri olim Tutores & Curatores non tenebantur rationes reddere niſi de cenſibus & jumentis indomitis; (x) ſed hoc correctum eſt per *Conſtitutionem Regni*, (y) & declaratum: ut Tutores & Curatores Inventarium omnium rerum conficiant, & rationem ex omnibus proventibus, fructibus, tum fundis & alijs rebus per Parentes pupillis relictis, aut alijs ad eosdem per ſucceſſionem ſpectantibus, coram Illis (quorum intereſt) reddant. Reſpectu cujus Forum in Judicio terreſtri aſſignatum eſt. (z)

(w) in Spec. Sax. art. 42. Lib. 1. (x) *apud* Herb. Stat. Caſimir. Regis *An.* 1368. *v. Tutor.* (y) *An.* 1365. *fol.* 100 *tit.* O Opiekunách. (z) Zalaſs *Jur. Reg. Lib.* 2. *Tit.* 17. *De Tutel. & poteſt. Tutorum.*

HINC

Laudes & gratias quas Domino DEO exhibere debemus, nec mens noſtra poteſt concipere nec lingua proferre (a)

quoniam

Æqualiter cura eſt Illi de omnibus (b)

(a) *l.* 1. *C. De Officio Præfect. Affricæ.*

(b) *Sapient.* 6. *v.* 8.

AUDITORES JURIS CIVILIS
in Anno Domini 1764. & 1765.

A. R. FRANCISCUS KOSINSKI, *ViceCustos Eccl: Cath: Crac.*

A. R. ANTONIUS MICHALSKI, *Curatus in Rogow.*

A. R. ANTONIUS BIAŁKOWSKI, *Curatus in Pikow.*

A. R. JOANNES RUCKI *Curatus in Skarzyce.*

A. R. ADALBERTUS JAKUBOWSKI, *Presb: Diœc. Crac.*

A. R. MICHAEL WIERZANSKI, *Presbyter Diœc: Camenec.*

V. D. MATHIAS POPŁAWSKI, *AA. LL. & Phiæ Baccal.*

V. D. ANTONIUS HUMINSKI.

V. D. THOMAS WIERZANSKI.

V. D. JOANNES KUHN *Varmien:*

Excell. D. M. ANDREAS ZNACZEKSKI. *Phiæ Dr & Prfr.*

Excell. D. M. ANTONIUS LIPSKI *Phiæ Dr & Prfr.*

Excell. D. M. JACOBUS NALEPCZYNSKI, *Phiæ Dr & Prfr.*

Excell. D. M MICHAEL MIKLASZEWICZ, *Phiæ Dr & Prfr.*

Excell. D. M. ANTONIUS de CAMELIN *Phiæ Dr & Prfr,*

Excell. D. M. VALENTINUS BANKOWSKI *Phiæ Dr & Prfr.*

V. D. ANTONIUS *Prawdzic* DOMIECHOWSKI, *Secundæ Laur. Candid.*

V. D. JOANNES KACZKOWSKI,

V. D. CONSTANTINUS POMIANOWSKI,

10

19

M. D. NICOLAUS *de Brzezie* RUSSOCKI, *Vexilliferid. Bracław.*

G. D, PETRUS *de Toczyłowo* TOCZYŁOWSKI

G. D. BATHOLOMÆUS ZAKRZEWSKI,

G. D. JOANNES TOPOLSKI,

G. D. ANDREAS GRZYMAŁA *Varm:*

D. SIMON URANOWICZ,

D. JOANNES BAKAŁOWICZ,

D. SIMON SZCZYGIELSKI;

D. GEORGIUS NAWROCKI,

D. STANISLAUS NANKIEWICZ,

M. D. NEPOMUCENUS WAXMAN *Pincernid. Duc. Zathor. & Osvietim.*

G. D. STANISLAUS LUBONSKI,

G. D. IGNATIUS LUBONSKI,

G. D. ONUPHRIUS ROGOWSKI,

G. D. JOANNES GRZYMAŁA *Varm.*

D. JOANNES HEMPELL *Varm.*

D. ANTONIUS SZUMAKOWSKI,

D. THEODORUS TERLECKI,

D. JOSEPHUS ROGONSKI,

D. THOMAS DOSTT.



